



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 8. An panis sine vino, vel vinum sine pane consecrari potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Non potest autem fieri consecratio, quin conficiatur Sacramentum.

Q. 7. *An potest validè consecrari materia in maxima quantitate?*

Resp. Aff. Modò sit secundùm se totam moraliter præsens consecranti. Ita commun. Quia 1. Christus nullam certam quantitatem definivit, & absolute dedit Sacerdotibus potestatem consecrandi panem & vinum, absque limitatione ad certam aliquam quantitatem. 2. Quantacunque sit materiæ quantitas præsens, designari potest per pronomen *hoc*, & verificatur formâ. Non licet tamen majorem quantitatem consecrare, quam tempore opportuno possit absumi; quia periculum esset ne species putrescerent. Quòd si consecratur nimis magna quantitas cum injuriâ Sacramenti, erit abusus potestatis à Christo concessæ, qui non impedit substantiam Sacramenti.

Q. 8. *An panis sine vino, vel vinum sine panè consecrari potest?*

Resp. I. Non potest licitè. Quia 1. Christus præcepit ut utraque materia consecraretur per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* 1. Cor. 11. sic enim Trident. sess. 22. c. 1. interpretatur. 2. Eucharistiæ institutio exigit utriusque consecrationem. Nam Eucharistia ut est Sacramentum, instituta est ad

ad modum & signum integri convivii, quod cibo & potu perficitur: & ut est Sacrificium, est incruenta ac mystica immolatio Christi, constituti modo quodam mortuo sub speciebus per consecrationem, & expressa representatio Sacrificii cruenti, quod per realem separationem Sanguinis à Corpore in cruce peractum est. Sed ad hoc necesse est, ut ambæ materiæ consecrentur, & sub illarum speciebus Corpus & Sanguis mysticè separentur, & expressè represententur ut separata fuerunt in Cruce: unde ex institutione divina consecratio utriusque speciei est de Sacrificii substantia & integritate: hoc autem Sacramentum non conficitur nisi in Sacrificio. Igitur institutio Eucharistiæ, quæ est juris divini, ac proinde jus divinum exigit utriusque materiæ consecrationem. 3. Ecclesia id prohibet, ut patet ex ejus usu, & Missal. Roman. de defect.

Resp. II. Validè tamen una materia sine alia consecratur. Quia 1. Christus priùs tempore per verba de præsentis consecravit unam materiam, quàm alteram: sic etiam Sacerdos consecrat, & hostiam adorandam populo proponit ante vini consecrationem. Quare si Sacerdos per impotentiam vel malitiam non consecraret vinum, non ideo efficeret, ut species panis consecrata non esset verè consecrata. 2. Veritas & significatio formæ, per quam consecratur una species, est absoluta & inde-

independens ab altera forma consecratoria alterius speciei: ac proinde exigit, ut Christus sit statim sub tali specie consecrata independenter ab altera; aliàs forma esset falsa.

Q. 9. *Quanam est Forma Eucharistia?*

Resp. I. Quisque graviter tenetur proferre totam formam quæ in Canone legitur, ob usum & præceptum Ecclesiæ in re tam gravi. Forma pro consecratione panis, hæc est: *Hoc est enim Corpus meum*: pro vini, ista: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, Novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Verba autem essentialia formæ debent proferri assertivè, seu cum intentione affirmandi id, quod significant: nam ex patribus & Florent. Sacerdos ea profert ex persona Christi, seu ut gerens personam Christi; & debet per illa intendere consecrare ac efficere quod significant.

Resp. II. Ad validam consecrationem certum est requiri hæc verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*: aut illis æquivalentia, quæ significant clarè ac distinctè conversionem panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem: verba enim non efficiunt nisi, id quod significant. Horum autem sensus est: hoc contentum sub his speciebus, est Corpus meum, est Sanguis meus.

Hinc invalida est consecratio 1. Si pro ly
hec,